

id est, quærere opes, honorem, favorem vel mensam. Non sic S. Gregorius Nazianzenus, qui scripsit de se ipso: «Ego ille idem sum, nec immutor ut polypus a petris, quibus adhærent.» Non sic Joannes noster, qui omnes sine discrimine corripbat, reprehendebat, uti imprimis Herodem, maxima constantia dicitans: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.*

V. Tales sunt leves corde, ut qui carni et mundo adhærent. Hi enim cum stabili virtutis fundamento careant, ad instar galli versatilis ad omnem ventum fortunæ, suasionis, irrisionis, laudis, contemptus, offensionis, etc. moventur, et quoque versum sese verti et inverti sinunt. Signum est hoc magnæ levitatis et inanitatis a virtute, sicuti arundo a quovis vento mota. Unde S. Gregorius in Evangelio hodierno hom. VI. in Evang. ait: «Quid per arundinem, nisi carnalis animus designatur? Qui mox ut favore vel detractio tangitur, statim in partem quamlibet inclinatur. Si enim ab humano ore aura favoris flaverit, hilarescit et extollitur totumque, se quasi ad gratiam inflectit. Sed si inde ventus detractio eruperit, unde laudis aurora veniebat, mox eum quasi in partem alteram ad vim furoris inclinatur. Et S. Chrysost. hom. XXVII. in Matt. Sicut calamus vacuus est et nullam habet virtutem, et ideo qualis vis ventus flaverit super eum, huc et illic flectit illum, sic et homo carnalis et sæcularis, in quo fidei nulla est medulla et virtus veritatis non invenitur in eo, qualiscumque tentatio venerit super eum, curvat eum.»

Non sic viri graves et virtute pleni: sed potius instar columnæ stant immoti, nec patiuntur se ab honesto et æquo ulla ratione dimoveri. «Decet viros graves, ait S. Cyprian. l. IV. epist. II. semel supra petram robustam, solida stabilitate fundatos, non dico aura levi, sed nec vento nec turbine commoveri.» Talis fuit S. Joannes, qui nec laudum aura potuit moveri, ut se Christum esse diceret, nec vinculorum procella, ut non loqueretur et ageret, quæ suæ legationis erant. «Arundo vento agitata, (ait S. Gregor. loc. cit.) Joannes non erat, quem a statu sui rectitudine nulla rerum varietas inflectebat. Discamus ego fratres charissimi, arundo vento agitata non esse, solideamus animum inter auras linguarum positum, stet inflexibilis status mentis. Nulla nos detractio ad iram provocet, atque ad remissionem inutilis gratiæ nullus pavor inclinet. Non nos prospera elevent, non adversa perturbent, ut qui in soliditate fidei figimur, nequaquam rerum transeuntium mutabilitate moveamur.» Sic ille.

VI. Tale est vulgus; quia enim vulgus vera sapientia vacuum est, hinc mendax et instabile

est, et modo vult, modo non vult. Ita populus Hebræus sub jugo Ægyptiaco pressus et ingemiscens vociferatus est ad Dominum, ut ab eo liberaretur, Exod. II. Verum liberatus et ductus per desertum, pastus etiam manna, tanta contentione regredi in Ægyptum voluit, quanta inde discesserat: *Vulgus quippe promiscuum, ait s. textus Num. XI. quod ascenderat cum eis, flagravit desiderio, sedens et flens junctis sibi pariter filiis Israel et ait: Quis dabit nobis ad vescendum carnes? Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis; in mentem nobis veniunt cucumeres et popones porrique, et cepæ, et allia, etc.* Rursum Num. XIV. territi nuntio exploratorum, pergere in deserto nolunt versus terram promissam, regredi in Ægyptum volunt. Verum mane factum, repente immutati: *Parati sumus, inquit, ascendere ad locum, de quo Dominus locutus est.* Peccarunt etiam in hoc, quia sine consilio, nutu et ope Dei ascenderunt montem, et ibi cæsi sunt a Chananæis. Denique vulgus Christum modo rapere et facere regem voluit, modo ei prælegit Barabbam, et clamavit contra eum: *Crucifige, crucifige.* Nimirum: «Sicut nebula, (inquit S. Basilus apud Anton. in melisse p. I. ser. XVIII.) juxta mutationes flatuum nunc huc, nunc illuc feruntur; sic vulgus quovis vento nunc in hanc, nunc in illam partem sese flectit.» Bene dixit Sapiens, Eccles. XXVII. *Homo sensatus in sapientia manet sicut sol; nam stultus sicut luna mutatur.* Ejusmodi autem stultus est vulgus. Luna modo pleno orbe, nunc corniculata, nunc obscura, nunc clara, nunc pallida, nunc rubra, nunc candida est. Hinc apologus ille Cleobuli apud Plut. in convivio septem sapientum, in quo luna a matre petit ut sibi tunicam congruentem texeret. Cui mater: Quomodo id possum, cum jam te plenam, jam semiplenam, jam corniculatam videam? Sic nimirum homini fatuo et mundi vulgo nulla est mensura, nunc animosus est, nunc timidus, nunc paret, nunc recalcitrat. Quisquis ergo in hoc stulto confidit, et ei fidem habet, aut placere cupit, aut mercedem ab eo expectat, stultissimus sit necesse est: hodie enim laudat, cras vituperat; hodie promittit, cras abnegat; hodie extollit, cras deprimat. Noluit S. Joannes confidere huic stulto, unde laudes ejus respuit, et interrogatus an Messias esset, constanter negavit, nec potuit a sententia ulatenus dimoveri: Non sum, non sum, non sum.

VII. Denique talis est mundus totus, quia nullis solidis bonis constat. Unde recte mundum mari compares juxta id Ps. CIII. *Hoc mare magnum et spatiosum. Cælum vero terræ, juxta id Salvatoris: Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Matth. V. Etenim cælum sta-

## CONCIO X.

DOCUMENTA.

I. Veritas odium parit. — II. In adversis non cessandum a bonis operibus. — III. Constantia in virtutibus. — IV. Vestium luxus fugiendus. — V. Commendandi alii. — VI. Factis non verbis te commenda. — VII. Discretio in laudando altero. — VIII. Christus vere Messias.

THEMA.

*Tu es qui venturus es, an alium expectamus?*  
Matth. XI.

Numerorum cap. X. præcepit Deus Moysi, ut faceret sibi duas tubas argenteas, quibus convocare posset omnem multitudinem, quando movenda essent castra. Rupertus in hunc locum, sensu allegorico, per duas tubas intelligit duos Christi adventus, primum in carnem, secundum ad judicium: nec male meo judicio; solet enim principis adventum nuntiare, et præcedere tubicen. Porro duo illi Christi adventus adeo magnifici et stupendi sunt, ut merito in lege veteri præfigurandi fuerint, et in nova rursum sæpe inculcandi sint. Id quod facit Ecclesia his diebus. Ante octiduum insonuit tubam secundi adventus cum de ejus prodromis et majestate Judicis venturi ex ipsius ore Evangelium proposuit; hodie inflat tubam primi adventus, cum ejus præconem Joannem proponit sua interrogatione eum asserentem: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Audivimus ante octiduum prioris tubæ sonum; audiamus hodie sonum et clangorem secundæ.

Duæ primariæ personæ sunt in hodierno Evangelio, Christus et Joannes.

I. A Joanne discimus primo, verum esse quod vulgo dici solet: Veritas odium parit: expertus id est noster Joannes, tantus talisque sanctus. Occinuerat is Herodi: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui;* quia abstulerat fratri suo viventi uxorem Herodiadem. Verum hæc cantilena offendit aures Herodis, ac præsertim Herodiadis; hinc ergo ne audiat, in carcerem compingitur, et ad extremum necatur. Sic elephas aquam limpidam turbat, ne in ea suam deformitatem intueatur, ut alias dixi ex Plinio l. VIII. Limpidissima aqua et sanctitatis speculum fuit Joannes, in quo suam turpitudinem deprehendit Herodes; ideo in carcerem trusus est. Limpida quoque Paulus, qui Galatas sic affatur: *Ergo inimicus vobis factus sum, verum dicens,* Gal. IV. Limpida Michæas, qui defendens veritatem alapa cæsus est. II. Par. XVIII. Libenter quidem in cæteris audiebat Herodes Joannem, sed quod attinet ad hoc vitium, obstetit Herodias, quominus eum audiret. Itaque adulatores et blandæ mulierculæ sæpenumero veritati obi-

bile est; mundus vero marisinstar in continuo motu, fluxu et refluxu est. Unde Philo. in lib. quod Deus sit mutabilis, ait: «Sicut affluxum maris sequitur paulo post refluxus: sic rerum caducarum affluentiam sequitur refluentia. Ergo uti mare jam ad sidera quasi tollit naves, jam quasi ad infernum deprimat; ita mundus cultores suos. Expertus est hoc Moyses, qui e flumine sublatus translatus est in regiam Pharaonis et ab ejus filia in filium adoptatus: sed ubi adolescent, quærebat eum rex occidere; unde fugere coactus fuit, Exod. II. Scribit in epistolis suis Antonius Guevara, Fabatum consulem e civitate sua Regio intra septuaginta annos nunquam transmigrasse Messanam, quæ tamen in portu Sicilia trans mare sita, non plus quam novem milliibus distabat: dicebat enim navem stultam esse, cum semper sese moveat; nautam stultum esse, quod nunquam in eodem maneat proposito, nunc hoc, nunc illud velit; mare stultum esse, quia semper inquietum; ventum quoque stultum esse, quia in dies et horas mutatur. «Cum ergo unum stultum fugiam in terra, inquit, quamobrem quatuor stultis credam me mari?» Idem ego de mundo dico, quatuor ibi stulti sunt: in primis ipse mundus, qui ad instar maris in continuo motu est, et modo hunc, modo illum haurit; deinde navis corporis nostri, quod modo hoc vult, modo friget, modo calet, modo esurit, modo vomit, modo bene, modo male se habet, post hæc fortunæ ventus modo prosper, modo adversus est. Denique nauta ipse homo, quisque libero arbitrio utens, varius et inconstans est, modo vult et modo non vult; vel nautæ sunt demones, mundi hujus tenebricosi rectores, (ad Eph. VI.) qui semper alia et alia imperant. Quam ergo stultus est, qui se mundo credit? Sicut enim arundo a vento agitur, modo in hanc, modo in illam partem: sicut mare versat naves, et tandem aliquando vel mergit, vel allidit: ita mundus homines perpetuo versat in utramque fortunam, et tandem coget eos navim omnem exonerare, simulque allidet navim. Ergo ut S. Anselmus ait: «Nolite constanter mundum diligere, quando ipse quem diligitis, non potest constare: incassum cor quasi manenter figitis, dum fugit ipse quem amatis.»

Non credit se Joannes huic stulto, sed a teneris eremum petit et incoluit longius a mundo sejunctus. Ergo, auditores, non simus nos arundines, nec Christo renovemus passionis suæ ignominiam: sed simus *Tanquam lignum, quod plantatum est, etc.* Ps. I.

cem ponunt, quominus ingrediatur ad petentes. Certe de veritate dixit Isaias c. LIX. *Corruit in platea veritas et æquitas non potuit ingredi.* Unde corruit veritas? Quia cum ingredi civitates et principum aulas vult, ponuntur ei offendicula, quibus repulsa, vel detenta ingredi non potest. Hujusmodi offendiculum fuit Herodias, quæ vinculis amoris constrictum tenens Herodem prædicatori veritatis cuniculum illum struxit, ut in carcere corruens vitam perderet. Simillima Herodiadi, pellex Gosberti Wirzburgensium ducis, quæ et ipsa fratris uxor cum esset, Gosberto copulata; et propterea dux a S. Chiliano sapius admonitus, jamque persuasus esset, ut eam a se dimitteret, similem ipsa quoque stropham viro sancto struxit, immissis in eum sicariis, qui eum contrucidarunt, ut in vita S. Chiliani videre est. Quare cum diabolus subruere veritatem nequit, mulierculam ei substruit. Viderint ergo viri, ne amoris feminarum nimium se implicent.

II. Discimus secundo, in ipsa etiam tribulatione non cessare a bene agendo; sed magis instare bonis operibus. Etenim Joannes carceri licet inclusus, non deserit tamen discipulos suos, sed de eorum salute sollicitus, mittit eos ad Christum, ut in ejus schola erudiantur et agnoscant eum Messiam, liberenturque a scandalo, quo magistrum suum Joannem pluris aestimabant quam Christum: ut enim hoc errore discipulos liberaret, misit eos ad Christum, ne suorum aliquem perderet. Præclarum Joannis exemplum imitatus est S. Paulus, qui et ipse in vinculis pro Christo constrictus, non desiit per epistolas admonere filios suos in variis Ecclesiis et urbibus, quos Christo genuerat; et in iisdem etiam convertit Onesimum, fecitque ex fure tam bonum et fidelem, ut postea evaserit episcopus de quo ad Philemonem scribit: *Obsecro te pro filio meo, quem genui in vinculis, Onesimo.* Joannem quoque secutus est S. Silvester papa, qui in exilium ejectus ex insula Pontifica, scripsit ad Amatorem episcopum: *«Sustentor pane tribulationis et aqua angustiae, nec tamen dimisi aut dimitto officium meum.»* Ibidem enim habito episcoporum, quos habere poterat, conventu, Ecclesiae providit, litterasque misit in summa, ut dixi, inedia; qua et confectus est. Baron. anno 538. Quare discant hic magistri, magistratus, et parentes bene consulere suis discipulis, subditis, liberis, eosdem ab erroribus liberare, ad Christum et doctrinam christianam mittere; discant calamitosi non abjicere remos in tempestate, sed fortius remigare; discant incarcerati, quæ ad suam suorumque salutem faciunt, sedulo cogitare; non terere tempus otio, ludis, computationibus, etc.

III. Discimus tertio, constantiam in virtute: de hac enim commendatur ab ipso Christo Joannes, illis verbis: *Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam?* Quasi dicat, minime vero: quod olim de me sensit vobis prædicavit, id etiamnum sentit. Erat enim Joannes instar quercus in fide et amore Christi solidissime solidatus. Res tantum male fundatae sui sunt proximæ: poma affecta raro maturescunt, cito enim et levi aura impulsæ cadunt, sincera autem firmiter arbori adhærunt usque ad maturitatem. Ita ubi virtus solida non est, sed cor vanum, intus vermem præsumptionis, vel impatientiæ, alteriusque affectus nutriens; ibi levitas et facilis lapsus. Joannis nostri constantiam magna cum laude imitatus est S. Basilus, qui cum a Valentis imp. Ariani præfecto urgeretur, ut tempore cederet, neque tot Ecclesias adduceret in discrimen tenui exquisitione dogmatis (contendebant enim Ariani Christum facere Deo similem tantum, non æqualem) propositis etiam magnis pollicitationibus, respondit: Adolescentulis congruere tales sermones, nam hos et his similes innutriti divinis litteris, eos nullam syllabam illarum in discrimen venire pati posse, solereque, si res poscat, nullum genus mortis pro illis subeundum recusare. Imperatoris quidem amicitiam magni se pendere cum pietate; qua remota perniciosam esse. Cum hoc responsum ægre ferret præfectus, dicens eum desipere, adjecit Basilus: *«Utinam sempiterna hæc mea sit desipientia.»* Cumque eum hac de re etiam coquorum magister Demosthenes reprehendere præsumpsisset, ejus insolentiam egregie sic refudit: *«Tuum est jusculorum curare condimenta: nam cum aures habeas oppletas sordibus sacrosancta dogmata audire non potes.»* Theodoretus l. IV. hist. c. XIX. Alia vice cum præfectus ei mortem minaretur, et juberet proinde eum, rem maturius deliberare, respondit: *«Ego quidem et hodie et cras idem futurus sum: utinam tu te ipsum non mutasses! etc.»* Niceph. l. XI. hist. c. XVIII. Horum ergo exemplo obfirmet animum Christianus, ut ne in minimo quidem cedat, cum ab æquo et recto discedere perurgetur.

IV. Discimus quarto, vestium luxum aspernari; siquidem Joannem Christus nequaquam commendat a vestitu holoserico, splendido et regio; sed contra a vili, et aspero: *Quid existis in desertum, inquit videre? Hominem mollibus vestitum?* q. d. minime; peli camelorum et zona pellicea vestes ejus sunt. Vicissim dum qui mollibus vestiuntur, asserit in regum aulis versari, non obscure indicat, eos ab aula cæli abesse, a qua abest omnis superbia. Typice hoc adumbratum est Levit. XI. ubi pro immundis de-

clarantur pisces illi, qui pinnulis et squamis carent; pro mundis vero et salubribus, qui iisdem præditi sunt. Quid vero pisces pinnulati et squamati, nisi eos denotant, qui morum gravitatem, adeoque vestium asperitatem et neglectum amant, molliem vero aversantur? Quid pisces illi lubrici, squamis destituti, nisi eos, qui mollibus vestiuntur et molliem carnisque blandimenta sectantur? Illos velut mundos admittit Deus ad mensam suam, hos vero aspernatur; illos commendat velut utiles, hos reprehendit velut inutiles. Mirum ergo est quod hujusmodi comptuli et delicatuli reperiantur inter Christianos, cum sciamus tales nullo apud Christum loco esse: eos tantum triumphare, qui cum Joanne neglectim vestiuntur et aspere vivunt. Dum enim illi inanis existimationis rumusculos venantur apud mundum, laudem perdunt apud Christum. Nihilominus tamen aspicere cogimur majorem in dies vestium luxum inter Christianos, quasi Christus contraria voce commendasset vestitum mollem, byssinum, holosericum, aureum, argenteum, et reprehendisset asperum atque eremiticum. Tempore Joannis Baptistæ videtur luxus vestium non nisi in palatiis regum locum habuisse, uti indicant verba Christi; at nunc perripit claustra illa et in aedes civium passim se intrusit, ita ut mercatorum et opificum uxores, filii atque filiae e regum domibus et familiis amplis prognati videantur.

V. A Christo discimus primo, non commendare nosmetipsos, sed alios. De suis miraculis Dominus modestissime loquitur: *Cæci vident, etc.* non ait: Ego tot illuminavi cæcos in momento, uno verbo, tot erexi claudos: quod faciebat gloriosus ille medicus Menecrates, qui se medicinæ regem et Jovem, qui servare ægros et ad extremam senectam sanos perducere posset homines, jactitabat. Verum cum de Joanne loqui cœpit, vela linguæ dedit et quam poterat, speciosissimis titulis angeli et plusquam prophetæ eum deprædicavit. Quod idem ex altera parte fecerat prius Joannes, ut audiemus sequente dominica, qui de se abjectissime, de Christo vero magnificentissime locutus est: *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis, qui ante me factus est: cujus ego non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus.* En quomodo viri sancti de gloria et humilitate inter se contendunt! De gloria ut eam alteri dent, de humilitate ut eam sibi servant. Quam hic rursus Christo contrarius mundus? Nonne enim in eo plerique toti sunt, ut sese verbis extollant, alios vero juxta se, æmulos præsertim suos, deprimant? Verum ad hunc terminum pessimam viam ineunt; deiciuntur enim ipsi dum sese exaltare, et alii exaltantur dum eos deprimere olunt. Nonne Nabuchodonosor dum gloriabun-

dus dicebat: *Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ et in gloria decoris mei?* Illico nondum finito regis sermone, vox de cælo ruit: *Tibi dicitur, Nabuchodonosor rex: Regnum tuum transibit a te, et ab hominibus ejicient te et cum bestiis et feris erit habitatio tua, fenum quasi bos comedes, etc.* Nonne Bajazetes Turcarum imperator arrogantissimus, qui decreverat Tamerlanem Tartarorum imperatorem cavea ferrea includere ut avem, ab eodem ad Stellam montem victus, et in ejusmodi caveam compactus, et suppedanei loco servire Tamerlani equum ascensuro jussus est? Neque in Christianis jactantia impunis fuit, ut expertus est Simon Thurvaus Anglus qui cum esset dialecticus acutissimus et artium liberalium Parisiis professor magni nominis, plenior scientia, quæ inflat, quam charitate, quæ ædificat, temere in scholis et palam non veritus est jactare, se scire totam Christi legem, ac improbando eam posse annihilare; sed ita subita oblivione percussus fuit, ut primarum litterarum oblitus, nec dominicam orationem pronuntiare nec alphabetum legere sciret. Nicolaus Duncemensis, dum adhuc adolescens esset, vidit eum litteras a filio proprio doceri: *«Qui mihi profecto (ait Matth. Paris. l. VII. his. t. Angl.) hæc scribenti olim narravit.»* Contigit autem circa annum 1201. Delr. l. II, disq. qu. 24.

VI. Discimus secundo nos non verbis, sed factis commendare. Ita enim Christus legatos Joannis ad opera sua ablegat, ut responsum ferant: *Renuntiate Joanni, quæ audistis et vidistis.* Nemo ergo gloriatur solo Christiani et Catholici nomine, factis se ostendat Christianum et Catholicum. Certe venient aliquando ad unumquemque nostrum similes legati, angeli videlicet in articulo mortis, qui et interrogabunt: *Tu es qui venturus es, ad cæli nimirum regiam?* Et tunc, nisi factis respondere et dicere queamus: *Renuntiate Deo opera mea bona, quæ audistis et vidistis: nil proderit nobis verba dare.* Scimus sanctum Hieronymum raptum aliquando ad iudicium, cum, quis esset, fuerit interrogatus, respondisse: *Christianus sum, et minime auditum fuisse, sed potius audisse; Ciceronianus es, et plagis dire acceptum esse, quod nimirum totus in Ciceronis libris fuisset, neglectis Christianis, uti ipse de se scribit, et alibi nos vidimus.* Eadem interrogatione convincere ac confundere possumus hæresiarchas, Lutherum, Calvinum, et cæteros: Vosne venturi eratis ad Ecclesiam reformandam? Si ita; monstrate opera vestra, sanctitatem vitæ vestræ, miracula, etc. Hæcine sunt miracula et testimonia doctrinæ vestræ: desertio monasterii, sodomia, incertæ nuptiæ, pergræcationes, joci scurriles, sacro

rum profanatio? etc. Alia nos testimonia requirimus. Demus eos bene scripsisse et docuisse, (quod tamen est falsissimum) fructum etiam ex arbore præter folia quarimus, ex fructu arborem noscimus. Impostor censendus est, qui aliam viatori viam monstrat, aliam ipse inquit.

VII. Discimus tertio, discretionem in laudando proximo observandam; ut ne facile scilicet laudemus eum præsentem: ne laqueum superbiam ei objiciamus, vel adulari videamur. Christus enim Joannem, non nisi postquam discessissent nuntii ejus, ut ait S. Lucas, commendare cepit. Laudandus ergo est proximus, quando laude dignus; quando ejus laus ad aliorum ædificationem, vel damnum ab iis amoliendum tendit, uti in præsentem casu. Laudavit enim Joannem Christus, quia laude erat dignissimus. Rursum quia ejus laus in bonum Judæorum et Christi discipulorum vergebat, ut doctrinam Joannis amplecterentur, et vitam ejus imitarentur; denique ne existimarent mutatum et a Christo alienatum esse Joannem, qui certior fieri velit, an ipse esset Messias. Verum hoc absente Joanne, ejusque discipulis fecit, ne ad gratiam ejus loqui videretur. Mercenaria est hæc laus et adulatoria, lucro et mercedi inhians, de veritate suspecta, proximo insidiosa.

VIII. Discimus quarto, Christum vere Messiam fuisse, ex duplici prophetarum oraculo in eo completo. Primum est Isaia qui c. XXXV prædixit a Messia illuminandos cæcorum oculos, surdorum aures aperiendas, claudos erigendos; et cap. LXI. evangelizandos pauperes. Hæc autem omnia fecit Christus cum legati Joannis advenirent. Alterum est Malachia cap. III. qui in persona Christi prophetans ait: *Ecce ego mitto angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam.* Hoc autem in Joanne impletum esse ostendit Christus, cum ait: *Hic est de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, etc.* Ubi tamen advertendum prophetam loqui in persona Christi, ut dixit, Christum vero in persona Patris, modestiam causa; ne si diceret a se missum esse Joannem, arrogantiam insimularetur ab invidis Judæis, quem morem perpetuo servavit disputans cum illis.

Nos ergo, auditores, qui primum Christi adventum non cum Judæis expectamus, sed ransisse scimus, ad secundum attendamus: et tsi tuba prima recreavit nos, demus operam ne secunda terreat nos; quod fiet si cum dulcedine prioris terrorem posterioris sedulo cogitemus. Resonet semper in auribus nostris sonitus illè: *Surgite mortui, venite ad judicium, etc.*

## CONCIO XI.

## MYSTERIA.

- I. Cur missi discipuli a Joanne? — II. Cur factis, non verbis asserit Christus? — III. Cur edita a Christo miracula? — IV. Num pauperibus tantum evangelizavit Christus? — V. Cur Joannem non commendat coram ejus discipulis? — VI. Quomodo Joannes plus quam propheta? — VII. Joannes cur angelus?

## THEMA.

*Tu es qui venturus es, an alium expectamus?*  
Matth. XI.

Sapientis verbum est Prov. XXX. *Qui fortiter premit ubera ad eliciendum lac, exprimit butyrum.* Quæ verba licet aliqui in malum dici putent, communior tamen interpretatio sumit in bonam partem, ut S. Gregorius l. II. moral. cap. I. qui sic ea explicat: «Ubera quippe, inquit, fortiter premimus, cum verba sacri eloqui subtili intellectu pensamus; qua pressione dum lac quærimus, butyrum invenimus, quia dum nutririi vel tenui intellectu quærimus, ubertate interna pinguedinis unguimur.» Verum hac in re observandum etiam est, quod immediate subdit Sapiens: *Qui vehementer emungit, elicit sanguinem.* Quod ibidem exponens subjicit Gregorius: «Quod tamen nec nimie, nec semper agendum est, ne dum lac quæritur, ab uberibus sanguis sequatur. Plerumque etenim quidam dum verba sacri eloqui, plus quam debent, discutiunt, in carnalem intellectum cadunt. Sanguinem quippe elicit, qui vehementer emungit.» Hæc Greg. Nos ergo, auditores, qui in hodierno Evangelio, quasi in ubere matris, lac verbi divini deprehendimus, hoc ita discutiemus, ut ne sanguis consequatur. Spiritualem intellectum, non carnalem audiemus.

I. Quæritur cur misit Joannes discipulos ad quærendum a Christo, num ipse esset Messias? Dubitavit de hoc Joannes? Respondeo minime dubitasse: quomodo enim nunc auditis Christi miraculis de eo dubitaret, qui jam ante miracula eum Messiam publice prædicarat? Sed misisse primo et primario propter suos discipulos, qui amore magistri obcæcati non credebant Christum esse Messiam, adeoque majorem magistro suo Joanne: cognoverat utique Joannes spiritu prophetico se brevi moriturum, audierat etiam in carcere famam miraculorum Christi; sciens ergo infirmitatem discipulorum suorum, voluit per hanc legationem ignorantiam eorum consulere, et ad Christi agnitionem, ac sequelam eos dirigere. Unde auctor imperfecti ait: «Volebat Joannes discipulos suos Christo adjungere, tamquam si providus pater moriens filios suos consignet tutori.» Imo verius uti pædagogus alienos filios, quos suscepit ad tempus

erudiendos, remittere ad Christum, velut ad verum patrem voluit. Receptam hanc sententiam docet inter alios S. Hieronymus, qui in hunc locum scribit: «Quomodo Salvator interrogat, ubi sit positus Lazarus Joan. XI. ut qui locum sepulchri indicabant, saltem, sic pararentur ad fidem, et viderent mortuum resurgentem. Sic Joannes interficiendus ab Herode, discipulos suos mittit ad Christum, ut per occasionem videntes signa ac virtutes, crederent in eum, et magistro interrogante sibi dicerent.» Confirmatur ex illis Christi verbis: *Beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.* His enim «Non Joannem, sed discipulos ejus percudit;» inquit S. Hieronymus in epist. CLI. ad Algasiam; ut qui in Christo scandalizabantur, non credentes ipsum esse Messiam, Joanne majorem. Si Joannes in Christo scandalizatus fuisset, et de eo dubitasset, non commendasset eum Christus de constantia, quando hic inter alia dixit: *Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam?* Quasi dicat: minime gentium.

Secundo, etiam propter Judæos, ut occasione hujus legationis et interrogationis partim confunderentur, quod ipsi ad Christum non mitterent interrogatum, an ipse esset Messias; cum tamen ad ipsum Joannem propterea aliquando misissent, quasi dicat: Vos olim ad me misistis et interrogastis, an essem ego Messias, qui nullum feci miraculum; jam vero istum videtis mirissima operari, et tamen ad eum non mittistis, nec queritis ex eo: *Tues, qui venturus es?* Quod ergo vos facere oportebat, hoc ego loco vestro faciam; partim ut Judæi, occasione Christi data ad respondendum et se manifestandum, erudirentur, et discerent e miraculis suis Christum agnosendum esse.

At inquires: cur Joannes non id affirmando, sed interrogando fecit. Respondeo ne videretur Christo adulari, atque ita testimonium suum enervaret. Vel potius interrogavit, ut Christum ad respondendum seque manifestandum, quis esset, cogeret quodammodo. Sciebat autem nihil inde scandali, sed multum potius utilitatis proventurum.

II. Quæritur, cur Christus factis, non verbis respondeat Joanni se Messiam esse? Respondeo ob plures causas. Prima est, ne si turbis præsentibus palam diceret se Christum esse, occasionem præberet Judæis et Romanis, ut ante præstitum tempus ipsum persequerentur et occiderent; docens interim neminem debere temere se objicere tentationi, et aliorum odio atque invidia.

Secunda, ut Joannes ipse, auditis Christi miraculis, testimonium de ipso ferret, adeoque jam efficaciter demonstraret incredulis Judæis Christum esse Messiam. Majoris laudis est et

majorem fidem obtinet, cum alius te commendat, defendit, vel excusat, quam si tu teipsum.

Tertia, ut efficacius persuaderet, licet occultius, Judæis se Messiam esse; factis enim plus creditur, quam verbis. Unde glossa interlin. ib. ait: *Cessent verba, loquantur opera.* Itali dicunt facta esse viros, verba esse feminas: testimonium autem virorum recipere solent leges, non feminarum. Ubi docetur Christianus, ut operibus demonstret se talem revera esse, non verbis et sola professione. De muliere forti ait Sapiens Proverb. XXXI. *Laudent eam in portis opera ejus.* Idem tibi, Christiane, dicitur: *Ostende mihi fidem tuam ex operibus,* ait S. Jacobus c. II. epist.

Quarta, ut modestiam nobis exemplum præberet; quia enim in vili, pauperulo et servili habitu apparuit: Judæi autem, qui magnificentum, divitem et splendidum Messiam expectabant, non modo affirmanti non credidissent, verum etiam arrogantiam eum arguissent ac risissent. Voluit ergo Dominus intra limites modestiam sese continere.

Quinta, quia quod allegat Christus de miraculis, implicitam etiam continebat assertionem et categoricam responsionem; siquidem verba illa: *Cæci vident, etc.* desumpsit ex Isaia propheta cap. XXXV. et LXI. ubi prædicit ea miracula a Messia patranda esse. Dum ergo nunc ostendit Christus ea a se facta, clare et aperte demonstrat se Messiam esse, juxta prædictionem Isaia, atque ita occasionem offert Joanni ex eo propheta loco convincendi suos discipulos. Sane ex eo Isaia loco S. Justinus in dialog. cum Tryphone, convincit Judæos, quod Christus fuerit Messias.

III. Quæritur, cur edidit Christus miracula in sanandis ægris, etc.? Respondeo primo, ut iis inclinaret voluntatem ad assentiendum fidei, ejusque articulis difficilioribus præsertim. Quia enim fides apertis rationum naturalium subsidiis destituta est ita, ut intellectus ad assentiendum iis cogi nequeat, liberum est voluntati assentiri vel non assentiri, ut experimur etiam in novarum rerum narrationibus quotidianis, quibus pro libitu vel fidem damus, vel negamus, quia per se claræ non sunt. Ergo Dominus ut voluntatem nostram permoveret ad assensum fidei, multa et magna patravit miracula, quæ nisi a maxima eaque divina potentia fieri non posse cerneremus; nostroque intellectu minime assequeremur. Hinc enim facile adducimur Deo etiam esse possibile, quæ fides docet, licet ea non intelligamus. Sic Pharaonem convincere voluit per miracula edita a Moyse, ut crederet Deum velle et præcipere dimissionem Hebræorum.

Secundo, ut his miraculorum beneficiis